

*Incorruptus etiam oleo, se ei commiscendo, resolvitur solo.]* De duplici Halosantho sermonem Dioscorides habet, videlicet de syncero & fucato: quapropter utriusque notas ostendit quo facilius dignoscantur. Syncerum autem Halosanthos in oleo totum resolvitur, quæ nota optimo spermatis ceti convenit. Nam, ut superius quoque dictum est, oleo iniectum facile totum dissolvitur: si verò in eo siue præparato siue non præparato aliquid remanet quod resolvi non queat, hoc minimè de eius substantia est, sed ex numero fucis causa iniectorum. Propterea mox subdit Dioscorides: *Fucatus verò, ex parte etiam aqua resolvitur.]* Id igitur quod syncerum in eo fuerit, in oleo totum resolvitur: ea verò eius pars, quæ in oleo non resolvi potest, ut in aqua resolvatur necesse est, nisi omnino durum aut lapideum corpus fuerit. nam omnia † mollia & liquida (ex quibus etiam rubrica & aliæ terræ durissimæ sunt) † mollia aut liquida idonea.

Halosanthos resolutio in oleo vel aqua.

† mollia aut liquida idonea.